

per unicam virtutem intellectum plura cognoscit, sed sumitur ex ipsa essentia divina, ut est res cognita diversimode comparabilis, et participabilis a creaturis; sic enim accipitur non præcise ut ratio repræsentandi, et cognoscendi, sed ut res inspecta, ex cujus imitatione aliquid fit.

XVI. Et fundamentum hujus ex hoc ipso desumitur, quia essentia divina, ut est ratio cognoscendi plura, tamquam species repræsentativa, vel virtus, seu lumen intelligendi, non repugnat quod sub una ratione formali attingat plura, quæ sub illa ratione formali continentur, et repræsentantur, sicut videmus per unicam visionem, et per unicam rationem formalem, et ab unica potentia attingi plura colorata; et intellectus per unicam speciem attingit plura repræsentata, in quantum reducuntur ad unum, et per unicum habitum scientiæ plures conclusiones secundum quod induunt eandem rationem formalem scibilem. Quare intellectus ad cognoscendum plura non indiget plurificatione medii, seu rationis formalis, imo tanto melius intelligit, et tanto superius, quanto magis ad unitatem intelligendi se reducit. Cæterum ad causandum per modum exemplaris, seu ideæ, non sufficit cognitionem rerum ideatarum in se habere; hanc enim etiam habere possunt qui idea illarum carent, et artifices non sunt, sed oportet quod formam secundum quam res ideata est facienda intellectus proportionet, et adæquet suo ideato, quia idea et proportio, quæ deservit pro una re facienda, non servit pro alia, ut præcedenti conclusione ostendimus, ergo oportet quod artifex et similiter ipse Deus prius formet in mente sua non solum cognitionem rei per essentiam suam, sed proportionem, et adæquationem essentiæ suæ cum

tali creatura, eo quod proportio, et imitabilitas unius creaturæ non servit pro alia, sed divina essentia diverso modo imitabilis est a diversis creaturis; et ita licet divinus conceptus serviat pro omnibus creaturis, quia infinitæ perfectionis est, sed non eodem modo repræsentat divinam essentiam, ut imitabilem ab una creatura, et accommodatam, seu proportionatam uni, atque alteri. Divina autem essentia in tantum induit rationem ideæ, in quantum redditur imitabilis ab una creatura, et formativa illius, ea ratione, et modo qui tali creaturæ debetur, et secundum quem discernitur una creatura ab alia: ergo ipsa divina essentia in quantum est cognita sub hac diversa imitabilitate, est sufficiens fundare istos diversos respectus ideales ad creaturas. Patet consequentia, quia isti respectus non sunt orti ex aliqua mutatione reali creaturarum, quia ante omnem mutationem temporalem Deus habet intra se ideas de ipsis creaturis ab æterno, nec sunt respectus rei ideatæ, et causatæ, sed ipsius ideæ ut causantis, et ideantis secundum diversam rationem unum et aliud: ergo tales respectus debent fundari in eo, quod de se habet sufficientem imitabilitatem, et rationem formandi diversas creaturas juxta diversam proportionem et imitabilitatem ejus, et hæc est essentia divina cognita, non absolute, ut in se est, sed secundum diversam accommodationem, et imitabilitatem creaturarum; sic enim est diverso modo formativa unius creaturæ, et alterius, quod pertinet ad rationem ideæ ut dictum est.

XVII. Dices: Si ista pluralitas idearum fundatur in essentia divina cognita, ut dicit D. Thomas quatenus intelligit Deus se intelligere per essentiam suam plures rationes creaturarum, sequitur quod pluralitas

idearum petat cognitionem reflexam Dei, quam nos negavimus convenire Deo, præcedenti tomo, disp. xvii. Et est inconveniens quod Deus non possit per cognitionem directam formare ideam, sicut possit artifex creatus; cum tamen creaturas cognoscat per cognitionem directam, et non cognoscit illas nisi per ideas. Sequela vero patet, quia dicit D. Thomas hic articulo secundo, quod sunt in Deo plures ideæ, quatenus intelligit se intelligere per essentiam suam plures rationes creaturarum: ergo loquitur de reflexa cognitione, quia hæc sola est quæ intelligere: habet enim pro objecto intelligere directum.

XVIII. Confirmatur, quia si pluralitas idearum sequitur per cognitionem directam divinæ essentiæ, ut imitabilis est a pluribus creaturis: ergo multiplicatur essentia divina in ipso esse cognito directo, in quo illi convenit pluralitas idearum, sed esse cognitum directum divinæ essentiæ est idem cum esse entitativo ejus, quia ipsa essentia divina consistit in intelligere, et intelligi sui: ergo si multiplicantur ideæ in ipso esse cognito, seu intellecto divinæ essentiæ, multiplicantur in esse reali, et entitativo.

XIX. Respondetur non deesse qui sentiant consequi pluralitatem idearum ad cognitionem reflexam ipsius divinæ essentiæ, quia id videntur indicare verba D. Thomæ. Sed oppositum optime sentit Cajetanus in præsentis articulo secundo, quia non solum pertinet ad cognitionem directam Dei cognoscere seipsum ut est in se absolute, sed etiam ut est ratio cognoscendi creaturas: non potest autem cognoscere creaturas per essentiam suam, nisi ut formatas a se: ergo ad eandem cognitionem pertinebit attingere creaturas in essentia divina, et attingere rationes essentiæ divinæ formativas creatu-

rarum. Dicimus ergo quod quando D. Thomas docet quod Deus intelligit se intelligere multa per essentiam suam, et hoc est esse plures ideas in Deo, ut intellectas, ly intelligit se intelligere non est actus reflexus, sed explicatio intellectionis Dei, ut formativæ plurium idearum; ex eo enim Deus format ideas rerum faciendarum, quia intelligit essentiam suam, non solum ut est medium, et ratio cognoscendi res extra se, sed ut est medium, et ratio formandi exemplar earum intra se, et cognoscendi quod hoc exemplar formatum intra se est ratio imitabilis, et formativa rerum ad extra: hoc autem ex eo convenit intellectui divino, quia intelligit suum intelligere, id est, quia intelligit suam naturam, quæ consistit in intelligere tamquam rem cognitam, et intra intellectum formatam, id est, adaptatam, et proportionatam huic creaturæ formandæ potius quam alteri: sicut etiam artifex creatus, inquit D. Thomas ibidem, dum intelligit formam domus ut a se speculatam, ex eo quod intelligit se intelligere eam, ex eo, inquam, intelligit ideam, vel rationem domus, non quod artifex ad formandam ideam indigeat cognitione reflexa, ut manifeste constat ipsa experientia, sed quod indiget cognoscere id quod formatum est intra suum intellectum cum habitudine ad rem extra, ut participabilem a se, et imitabilem sui; non vero quod simpliciter cognoscat rem ad extra per speciem in se existentem. Quod autem possit artifex cognoscere id quod formatum est intra se, ut fundans habitudinem exemplaris ad rem extra, licet non consistat in actu reflexo, tamen ex eo convenit intellectui, quia reflexivus est, et quia potens est intelligere se intelligere: potentia enim quæ non est reflexiva supra suum actum etiam non potest cognoscere id quod

formatum est intra se, cum habitu-
dine ad id quod est extra se: D.
Thomas autem eodem modo loquitur
de Deo in hac parte, sicut de ar-
tifice creato, qui non indiget uti re-
flexione ad formandam ideam, sed
esse reflexivum. Deus autem ad in-
telligendum se intelligere nec indi-
get reflexione, nec quod sit reflexi-
vus, quia suum intelligere est sua
essentia, et objectum directum suæ
cognitionis.

XX. Ad confirmationem respon-
detur quod esse cognitum, et intel-
lectum Dei absolute, et adæquate
sumptum, et in ordine ad suum in-
tellectum, sic est ipsamet natura Dei
realis, et entitativa, nec constituit
in hac consideratione ideam: at ve-
ro esse cognitum comparative, et
inadæquate secundum proportionem
et imitabilitatem hujus, vel illius
creaturæ, sic non dicit solam enti-
tatem Dei absolute, sed addit respec-
tum, et comparisonem ad creatu-
ras, secundum quem non est incon-
veniens multiplicari ideas in of-
ficio, et ratione formæ; non in en-
titate.

XXI. Ex his colligitur quomodo in
ideis distingui soleat duplex consi-
deratio, scilicet ratio cognoscendi,
et ratio causæ exemplaris: cum
enim idea non inveniatur nisi in
mente, et conceptu, in quo exprimitur
ratio formata per intellectum
ad cuius instar fit res ideata, consi-
derari potest ille conceptus idealis,
vel ut dicit ordinem ad subjectum,
id est, ad intellectum in quo est, et
sic habet se ut ratio cognoscendi;
non tamquam principium quo fiat
cognitio, id enim pertinet ad spe-
ciem impressam, sed tamquam con-
ceptus, seu species expressa, quæ te-
net se ex parte termini cognitionis.
Vel potest considerari in ordine ad
objectum, quod formatur, et cogno-
scitur intra ipsum conceptum, non
absolute, et sistendo in ipso in se,

sed relate, et comparative ad aliquid
formandum ad extra ex ipso quod
formatur ad intra, et sic habet ratio-
nem ideæ.

RESPECTUS RATIONIS NON CONSTITUUNT
IDEAS FORMALITER.

XXII. Dico tertio: Respectus isti,
quorum ratione plurificantur ideæ,
non se habent ut ratio formalis con-
stitutiva idearum, sed ut conditio
requisita, ut ipsa entitas ideæ res-
pectivo modo se habeat ad creatu-
ras, et sic induat, et exerceat offi-
cium plurium idearum. Ratio pri-
mæ partis conclusionis, scilicet
quod isti respectus non constituent
nec se habeant ut ratio formalis
ideæ, illa est, quia idea est vera, et
realis causa, et realiter influxiva in
suum ideatum, et idea divina est
suprema, et eminentissima in cau-
sando, etiam respectu cujuslibet ide-
ati in singulari, quia etiam id quod
singulare est, format, et causat: er-
go etiam in quantum specialis, et
propria hujus, et consequenter ut
formaliter distincta ab idea alterius
non potest constitui in ratione for-
mali specialis, et distinctæ ideæ per
illum respectum rationis, quo ap-
propriatur isti pro illo. Antecedens
certum est ex ipsa natura, et ratione
ideæ hucusque tradita: idea enim
est id cui assimilatur ideatum, et ad
cuius instar fit, sed ideatum ipsum
est aliquid reale: ergo idea in ratio-
ne formali ideæ aliquid reale est,
si quidem ideatum in eo quod assi-
milatur illi, aliquid reale est; non
potest autem reale ideatum assimi-
lari ei, quod aliquid rationis est, et
per imitationem illius esse aliquid
reale: ergo si per participationem,
et imitationem ideæ creatura est
realis entitas in se, a fortiori idea de-
bet formaliter esse aliquid reale, et
non rationis, cum ex ejus participa-

tionem ideatum aliquid reale sit. Con-
sequentia vero probatur, quia idea
formalissime constituitur per id ad
cujus imitationem formatur ideatum,
et illud est formale in idea, cui
assimilatur ideatum: per hoc enim
causat ipsa idea, sed non causat
Deus ideatum in singulari, nisi in
quantum habet ideam illius in sin-
gulari, ita quod sit propria, et spe-
cialis hujus, et non alterius, nec
enim Deus causat hominem per ide-
am equi, sed per specialem, et pro-
prium ideam hominis: ergo illa idea
ut est specialis, et propria hominis,
et condistincta ab alia, non consti-
tuitur formaliter in ipsa formali ra-
tione ideæ per respectum rationis,
sed per aliquid reale.

XXIII. Ex quo deducitur secunda
pars conclusionis, quia isti respec-
tus rationis non se habent ut forma-
le constitutivum ideæ, ut specialis
idea est, et tamen sine illis non po-
test intelligi ista multiplicitas idea-
rum, quia ista multiplicitas est res-
pectiva, seu comparativa, et non per
respectum realem, ut ostensum est:
ergo oportet quod talis respectus ra-
tionis intret tamquam conditio, seu
modus requisitus in ideis, ad multi-
plicationem earum, quia non potest
aliquid pertinere ad alterum neces-
sario, nisi vel tamquam constituti-
vum, vel tamquam conditio, seu
modus requisitus. Et hoc rationaliter
ita ponitur, quia respectus isti
rationis nec important in in ea vim
influendi in ideatum, neque ratio-
nem ipsam in qua fiat immutatio,
et assimilatio ideati, quia totum hoc
aliquid reale esse debet in idea, si
quidem ipsa realitatem ponit in
ideato: hoc autem est quod pertinet
ad rationem formalem in idea, si
quidem ad rationem formalem cau-
sæ maxime pertinet id in quo effec-
tus assimilatur causæ, et id per
quod influit in causatum. Respec-
tus autem, seu ordo, vel proportio

causæ ad causatum quamvis neces-
sario requiratur ad ipsam causam,
vel consequatur illam, non tamen
fit assimilatio, et influxus in causa-
tum in ipso respectu. Sic etiam res-
pectus idealis omnino requiritur ut
idea comparetur, et adæquetur suo
ideato, non tamen est ipsa ratio for-
malis in qua assimilatur sibi ideatum
et in illud influit, et sic solum requi-
retur ut conditio.

XXIV. Dices: Tota ratio multipli-
cationis idearum, qua formaliter
plures sunt, sunt ipsi respectus ra-
tionis, si quidem id quod reale est in
idea multiplicari non potest, cum
sit intra Deum, sed implicat aliquid
esse distinctivum, et non constituti-
vum in ea ratione qua distinctivum
est, quomodo enim potest idea consti-
tuiti in esse ideali per unum, et dis-
tingui per aliud in eodem esse idea-
li? Non ergo pertinent isti respectus
ad solam conditionem, seu modum
requisitum, sed ad formale constitu-
tivum, si quidem pertinent ad dis-
tinctivum.

XXV. Confirmatur si respectus
solum se habent ut conditio: vel er-
go pluralitas idearum, in quantum
plures, aliquo rationis constituuntur
vel aliquo reali: si aliquo rationis;
ergo male negamus constitui respec-
tibus rationis illas ideas in quan-
tum plures, et distinctæ sunt: si ali-
quo reali: ergo in quantum plures,
et distinctæ realitatibus differunt;
et sic realiter plurificantur, et dis-
tinguuntur: nihil autem realiter
differt intra Deum, nec realiter mul-
tiplicatur, nisi ubi est oppositio rela-
tionis realis, non rationis, alias enim
unum et idem sunt.

XXVI. Respondetur distinguendo
antecedens. Ita ratio formalis multi-
plicandi ideas est respectus rationis
formalitate quasi completiva, et res-
pectiva, concedo; formalitate cau-
sativa, et assimilativa ideati, nego:
hæc enim non habet pluralitatem

formalem in Deo, sed eminentialem, quia in una eminentissima ratione continetur omnis ratio formalis causandi, et assimilandi sibi diversa ideata, quod apud nos per plures formas entitative distinctas fit: proportio autem, et respectus quo adaptatur, et adæquatur idea suo ideato non pertinet ad formalem rationem et ad characterem ipsum ideæ, quo sigillat ideatum, hoc autem formale ideæ in Deo eminentialiter realiter est plura, non realiter formaliter: fungitur autem, et exercet quantum ad applicationem, officium plurium per istos respectus quibus adæquatur diversis ideatis. Ideæ autem solum sunt plures formaliter in executione officii, et muneris ideandi, et correspondendi, ac proportionandi se creaturis; sunt autem plures eminentialiter, et non formaliter in virtute, et ratione formali assimilativa, et causativa plurium; et hæc pluralitas eminentialis realis est, sed non plurificatur formaliter. Sic ergo dicimus quod distinctivum, et constitutivum rei semper est unum et idem, loquendo juxta proportionem, et modum in quo aliquid constitutum est, et distinctivum, non autem mutando istam proportionem: quod enim distinguit, et plurificat ideam in ipso officio, et respectu ideandi, et comparative se habendi ad ideata, sicut distinguit, ita constituit, nempe formaliter in esse respectivo, et comparativo ad ideatum: sed totum hoc comparativum, et respectivum est conditio, seu modus, non vero constitutivum ipsius ideæ in ratione formali assimilandi, et causandi quod est principaliter, et essentialiter in idea. Quod autem distinguit, et plurificat ideam eminentialiter, etiam eminentialiter constituit: sed hoc quod est esse plura eminenter, non est pluralitas realitatum, et entitatum, sed potius eminentia petit unitatem in entitate:

divisio enim eminentiam destruit, quæ in una plura continet; et ideo pluralitas eminentialis sic distinguit, et constituit, quod intra limites unitatis entitative se continet, non autem formaliter dividit.

XXVII. Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod constitutivum pluralitatis idearum in esse eminentiali reale est, sed non realitate, et entitate divisum; esse enim plura eminenter, est existendo unum æquivalere pluribus realiter, sicut nummus aureus in valore reali est plures ærei realiter; constitutivum autem pluralitatis idearum in esse respectivo, et comparativo formali ad ideata non est reale sed rationis, sed hoc habet se tamquam conditio ad ipsam virtutem, et constitutionem ideæ in ratione causæ, sicut in constituendo aureo, et ejus valore intrinseco pro multis denariis, non concurrunt respectus ad plures denarios, ut quid constitutivum, sed sequuntur ut conditio, aut modus talis valoris, eo quod valet ad plura. Et sic ad argumentum dicitur quod plures ideæ constituuntur aliquo rationis, quantum ad formalitatem in esse respectivo, et comparativo, plures vero ideæ in esse eminentiali, quod pertinet ad virtutem, et rationem causativam, constituuntur realitate essentialis infinitæ, cujus illi respectus rationis se habent ut conditio.

XXVIII. Quod si adhuc instes, quia secundum hoc non aliter plurificantur in Deo ideæ, quam attributa: nam etiam in Deo datur eminentialis pluralitas attributorum: formalis autem distinctio solum per rationem. Hoc autem videtur contra communem modum sentiendi theologorum, qui aliter loquuntur de pluralitate idearum, quam attributorum, ponunt enim plures ideas in Deo ab æterno: plura autem attributa non nisi in mente, et con-

ceptu nostro. Ad hoc statim plenius dicemus, tractando an isti respectus rationis sint formaliter in mente divina. Interim dicimus esse differentiam inter attributa, et ideas, quia attributa important in sua formali significatione perfectionem per modum formæ efficientis ipsum subjectum, et perfectionem illius explicantis: solum autem plurificantur eo modo, quo a nobis intelliguntur, quia cum in se sint infinitæ perfectionis, finitis et multiplicatis conceptibus a nobis sunt intelligibilia, et ut subsunt, et fundant hos conceptus, multiplicantur: idea autem sub formalitate ideæ non explicat formam, ut perficientem ipsum subjectum, id est, intellectum artificis, sed ut perficientem ipsum ideatum, quia licet ut forma inherens perficiat intellectum, ut tamen forma exemplaris perficit ideatum non subjectum: idea autem ut idea magis exprimit vim formæ exemplaris, quam formæ inherens; et sic idea in suo conceptu petit, seu fundat respectum, et comparationem ad ideata, ideoque non explicat perfectionem essentialis ut intra se, sed cum comparatione ad extra se: attributa vero significant perfectionem ut intra Deum, et ut perficientem essentialis Dei; et hac ratione D. Thomas q. iii de verit. art. ii ad ii, negat plures ideas esse plura attributa, quia sub formalitate exemplaris non significant formam ut perficientem Deum, sed ut perficientem creaturas, et habent pluralitatem solum in hoc officio, et comparatione formandi plura extra se. Videatur D. Thomas infine questionis xxxiv, art. iii ad iv.

RESPECTUS IDEALES NON FORMANTUR
AB INTELLECTU DIVINO.

XXIX. Dico quarto: Respectus isti rationis secundum quos multi-

plicantur ideæ, causantur ab actu intellectus divini, ut a proximo fundamento, non tamen ab ipso formantur concipiendo illos ad instar relationum realium, sed hoc fit ab intellectu nostro. In hac conclusione non omnes auctores conveniunt, sed est differentia inter sententiam p. Vasquez et communem Thomistarum in duobus. Primum, quod ipse tenet respectus istos rationis non fundari immediate in ipso actu intellectus, seu in essentiali divina, sed in creatura. Secundum, quod isti respectus formantur ab intellectu divino hoc ipso quod intelliguntur ab eo.

XXX. Circa primum id affirmat p. Vasquez hic disp. lxxx, c. ii, loquens de respectibus rationis, tam præscientiæ quam libertatis divinæ erga sua objecta, quos putat fundari in ipsis creaturis futuris, non in ipso actu Dei, ut intra intellectum, vel voluntatem; et eadem ratio videtur esse de respectibus idearum. Unde maxime laborat in illo circulo, admittendo ideo Deum libere velle istas creaturas, quia futuræ sunt, et ideo esse futuras, quia Deus libere eas vult, de quo plenius agemus infra, circa questionem xix. In hoc enim oppositum affirmamus, scilicet fundari aliquos respectus rationis, proxime in ipsis actibus intellectus, et voluntatis divinæ.

XXXI. Circa secundum vero quod magis pertinet ad præsens, duo affirmat p. Vasquez. Alterum hic disp. lxiii, cap. ii, quod intellectus divinus, et quilibet alius cognoscens res sicut sunt per proprium, et distinctum conceptum non format ali-quod ens rationis, et sic respectus ideales, et distinctio attributorum non formatur actu ab intellectu divino cognoscente immediate illos respectus, quia non cognoscit illos ad instar relationum realium, quod requiritur ad immediatam forma-